

nocentem vivendi normam divina misericordia benedictionibus prævenit. Etenim, uti refert Guillelmus cap. 1. num. 6 : « Cum adhuc puerulus gravi capitis dolore vexaretur, decidit in lectum, Adducta autem ad eum est muliercula, quasi dolorem mitigatura carminibus, « seu præstigiis : » quam cum ille appropinquantem sentiret cum carminibus instrumentis, quibus hominibus de vulgo illudere consueverat, cum indignatione magna exclamans a se repulit, et abiecit. Nec defuit misericordia divina bono zelo sancti pueri ; sed continuo sensit virtutem, et in ipso impetu spiritus surgens, ab omni dolore liberatum se esse cognovit. »

26. Quid, quod præter hanc corporis sanitatem data ei fuerit a Domino gratia animæ plane singularis, quando ipsi puero puer Jesus apparuit... velut denuo procedens sponsus et thalamo suo. Apparuit ei quasi iterum ante oculos suos nascens ex utero Matris Virginis Verbum infans, uti ibidem scribitur. Quantis autem divinæ gratiæ fluentis, quanto unctionis melle, futurus postea mellifluus doctor, fuerit delibutus ex illa apparitione, intelligi facile potest cum ex ipsa rei natura, tum e fructu inde postmodum consecuto. Nam statim biographus idem : « Facile est, ait, advertere iis, qui ejus auditorium frequentaverunt, in quanta benedictione ea hora prævenit eum Dominus : cum usque hodie in iis, quæ ad illud pertinent sacramentum, et sensus ei profundior, et sermo copiosior suppetere videatur. Unde et postmodum in laudem genitricis et geniti et sanctæ ejus Nativitatis, insigne edidit opusculum, » de quo ibidem agitur. Ex his itaque conficitur, favores cœlestes meritis, merita autem favoribus in Bernardo respondisse ab ipsa ejus puerili ætate, et, ut dicebam superius ex Burchardo : « Quidquid fuit illi ad indicium bonitatis ex dono naturæ, per donum gratiæ transiisse in virtutem. » Quo non mediocriter conduxerit innata quodammodo ei etiam tunc, ac mirifica illa erga pauperes misericordia, referente Guillelmo ibidem num. 7 : « Neque illud tacendum, quod ab ipsis jam puerilibus annis, si quos poterat nummos habere, clandestinas faciens eleemosynas, et verecundiæ suæ morem gerebat, et pro ætate, imo supra ætatem, pietatis opera sectabatur. » Verum hæc, quæ relata jam sunt, sive rerum longe majorum, quæ de sancto sunt, memorandæ, exordia, sive præludia nuncupare lubet, cum ita se habeant, videndum nunc est, quam egregie cum crescente paulatim ejus ætate accreverint simul virtutum et gratiarum cœlestium ornamenta.

27. « Cum autem, » uti habet Guillelmus loco citato, « aliquanto tempore evoluto, proficiens ætate et gratia apud Deum et homines puer Bernardus de pueritia transiret in adolescentiam, mater ejus... feliciter migravit ad Dominum. » Post hæc Bernardus, mortua matre, in sæculo relictus magnam de se concitabat expectationem propter gratias singulares, quibus erat præditus. Spes magnæ ipsi arri-

dent ; obsident amicitia, expugnandæ ipsius castitati horribiles struuntur insidiæ ; sed in tam lubrica ætate, tanquam periculoso conflictu triumphat integerrimus, interque medios illos ignes perstat illæsus. At vero cum graphice de his rebus agat Guillelmus cap. 1, satis est, eas obiter hoc loco designasse. « Non tamen hæc victoriæ, sicut testatur illustrissimus Manricus ad annum 1110, cap. 2, num. 6, « sinè mercede, quam etiam in hac vita reportavit. Tradit anonymus Gallus lib. vii. cap. 9, in ejus Actis (quod ex Joanne eremita Bernardo subæquali acceptum, ut ipse ait, certioribus adhuc fidem sibi vindicat) post multos annos Claramvallem regenti sancto viro, mulieres quasdam a dæmonibus obsessas, per ipsum liberandas fuisse adductas. Ab altera ante adventum sancti fugatum dæmonem, vel potius ultro abeuntem proclamasse, Bernardo se resistere non posse, quippe cui adhuc in sæculo manenti, atque ejus opera contra castitatem tentato graviter, sed omnino invicto, per omnia obsecuturus fuerit traditus. Hæc et similia trophæa vir sanctus referens, de communi hoste, ex gratia Dei, gloriosus triumphabat. » Vidimus paulo ante Bernardum in sæculo degentem ; nunc vero eum a sæculo ad perfectiorem vitam conversum prosequamur Manrici verbis ad annum prædictum, num. 7.

28. « Tunc vero, ait, in ipso flore adolescentiæ, ætatis suæ anno vigesimo, quo cæteri plus solent retardari, fervore appetitus altius æstuante atque obruente spiritus fervorem ; ipse econtra, prævalente eadem gratia, ac motus omnes rebelles coercente, primas eremi vocationes sentire, sæculi fugam tunc primum meditari, atque Cistercium altius infixum cordi, periclitanti salutare refugium, infirmo remedium, præservativum valenti, meditabatur. Cœlestem orbem in terra tunc fulgentem, quem jam luna et stellis, hoc est Stephano et sociis illustratum, ejus, ut solis radii, quod minime præsumebat, præstolabantur. » Qui primæ hujus conversionis descriptionem apud biographos desiderat legere, adeat Guillelmum cap. 2 ; ubi etiam inveniet conatus fratrum, et amicorum, modis omnibus id agentium, « ut animus ejus ad studium possent divertere litterarum, et amore scientiæ secularis sæculo arctius implicare. »

29. Hæc ibi brevissime ; sed illustrissimus Manricus ad annum 1111, capite unico, num. 4, illa amplificans, addidisse fratres memorat, « homines non solis sibi natos, sed reipublicæ, imo orbi profuturos : monachos in eremo latentes, et mundo profugos, neque doctrina alios juvare neque exemplis : quin sub honesto contemplationis nomine palliantes otium, segnitiei potius et desidiæ operam dare, et sustentandos aliorum eleemosynis, quod olim Tiberius imperator de aliis dixerat, sibi ignavos existere, aliis graves. Tunc ut otium excutiant laborantes, ac de proprio sudore quærentes victum, aliorum etiam redimant gravamen ; quod de novo illo monachorum genere, in agro Balnensi recens instituto, fama vul-

gaverat : haud tamen tantæ spei adolescentem, indole, moribus, ingenioque præstantem, atque in suæ familiæ gloriam, ut credebant, vel magis in communem usum concessum orbi, ruri et aratro fore mancipandum : colendis agris multos superesse, quibus non alia munia injungi possent ; ipsum se debere publicis rebus, ne si talentum sibi a Deo creditum in terra deserta inviaque absconderit, damnationem incurrat. » etc.

30. Quanquam vero fratrum et amicorum molimina juvenem pium, ac propositi sui tenacem non permutaverint, moræ tamen aliquid ei injecerunt. Etenim, referente Guillelmo cap. 2, num. 11, « hac nimirum suggestione, sicut fateri solet, propemodum retardati fuerant gressus ejus. » Plus dicitur. Aureavallis : « Hortantur eum ad studia litterarum, quæ maxime via facilis eum detinere posse sperarent. Placuit sermo in oculis ejus, et constituta est dies, qua providerent fratres itineri ejus necessaria, et sic in Alemanniam proficisceretur. » Sed non est consilium contra Dominum. Vicit enim Bernardus obstacula omnia, Spiritu sancto operante, et in ejus animum revocante piissimæ matris memoriam, spemque et expectationem melioris et altioris fortunæ, quam de charissimo sibi conceperat, ac jam prægustaverat. Audiamus Guillelmum de hac re loco citato : « Matris sanctæ memoria importune animo ejus instabat, ita ut sæpius occurrentem videre videretur, consequentem et improperantem, quia non ad hujusmodi nugacitatem tam tenere educaverat, non in hac spe erudierat eum. »

31. Guillelmo astipulatur ms. Aureavallis : « Festinans autem ad constitutum diem et locum, coepit subito maternam in animo suo imaginem volvere, et confundi, quod frustraret spem, quam de eo ipsa conceperat, et nihil pro ea ageret, a qua tam tenere fuerat educatus. » Sic itaque Bernardus in priorem cœlestis vocationis orbitam reducitur, victusque tandem est, seu potius sui ac fratrum victor laureatus evasit, dum divinis maternisque monitis obtemperans, Dei se famulatur, cui servire regnare est, penitus addixit, et ita quidem, ut eosdem fratres, quos antea habuerat in piissimo melioris vitæ decreto maxime sibi adversarios, tandem in suam ipse deduxerit sententiam, ac monastici ejusdem instituti contubernio feliciter agregarit, ac genuerit in Christo Jesu, factus e germano fratre, eorumdem in spiritu pater. Pergamus cum Guillelmo : « Primus omnium Galdricus, avunculus ejus, absque dilatione aut hæsitazione, pedibus, ut aiunt, ivit in sententiam nepotis, et consensum conversionis : » secuti deinde fratres. Quoniam autem ordine, quo modo illa acciderent, quam fervido sancti Spiritu, et quam insigni etiam alicubi eum vaticinio, refert singillatim simul hac pathetice idem Guillelmus biographus. Manricus vero ea innectit anno Christi 1112, Cistercii, 15 ; ubi etiam satis prolixam rerum gestarum narrationem exponit.

32. Mira autem ac omnino cœlestis agebat Ber-

nardum vis, quando verbum Dei intonans pusillum Domini gregem a se collectum novis augere incrementis satagebat. Etenim, auctore Guillelmo, « eo publice et privatim prædicante, matres filios abscondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertiebant : quia voci ejus Spiritus sanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. » Tam potens acceperat novus ac juvenis hic præco a Spiritu, quo intus agebatur, in humana corda dominium. Verum plures inter mirabiles conversiones non infimo censenda loco est illa, quæ accidit in Hugone Matisconensi, qui a Guillelmo laudatur num. 15, tanquam « nobilitate et probitate morum, possessionibus et divitiis sæculi ampliatus : qui hodie merito religionis et sanctitatis suæ raptus a Pontiniacensi cœnobio, quod ipse ædificavit, Autissiodorensi ecclesiæ præest merito et honore pontificis. » Deinde laudatus biographus subdit vocationem ejus ad perfectiorem vitam. Quandoquidem vero relatio hujus facti, quæ exstat apud Guillelmum, differt ab ea, quæ habetur in nostro exemplari et ms. Aureavallis, ideo lectorem ea frustrandum non putavimus. En itaque textum ejus :

33. *Ait quadam die ad fratres suos : Habeo amicum Matisconi, Hugonem de Vitreio ; et ipsum oportet adducere, ut sit et ipse unus ex nobis. Erat autem clericus nobilis, et jam maturioris ætatis, sæcularibus pariter et ecclesiasticis possessionibus affluens. Capebant ergo qui noverant, eum temeritatis arguere : sed nihilominus ille confidens, sine omnium hæsitazione festinavit ad ipsum. Erat autem fama in regione quod Hierosolymam esset iturus ; sic enim ipse fingebat, non in eam, in qua fuit, sed in qua est Deus, Hierosolymam profecturus. Videns ergo eum prædictus Hugo, flens et ejulans in amplexu ejus ruit. Sed vir Dei lacrymas ejus penitus non attendebat. Ubi vero paululum respiravit, revelat ei propositum suum : et, ecce, innovatus est dolor, et fons lacrymarum fluxit uberius, ita ut tota die illa non quiesceret pupilla ejus. Sequenti nocte pariter accubuerunt in angustissimo strato, ita ut vix caperet alterum ; nec tunc ergo cessabat a lacrymis Hugo, ita ut arqueret eum vir sanctus, quod dormire eum non pateretur. Ubi vero obdormivit, videbatur sibi ex more invocato Spiritu sancto habere ad eum de conversione sermonem, et non deesse voci suæ vocem virtutis.*

34. *Mane autem facto, cum rursus fleret Hugo, moleste jam accipiens, coepit durius objurgare eum. At ille : Non mihi, inquit, eadem hodie lugendi causa quæ fuit heri : heri enim super vos flebam, hodie super me ipsum. Novi enim vestram conversationem, et mihi quam vobis, conversionem esse necessariam, non ignoro. Ad quem Bernardus exsultans : Flete, inquit, nunc satis, quoniam optime sunt lacrymæ istæ : nolite cessare. Ex hinc cum vidissent eos clerici ambulantes pariter et exsultantes simul, nec ad momentum ab invicem separari, conati sunt Hugonem avellere a Bernardo, timentes imo jam aperte cognoscentes, quoniam uno spiritu agerentur. Tenen-*

tes ergo Hugonem jam nulla ratione pati voluerunt, ut vir Dei cum eo de cætero loqueretur. Abiit ergo tristis: sed nihilominus erat adhuc cor ejus fiduciam habens in Domino. Post aliquot dies sane conventum audiens episcoporum, festinavit illuc, ut Hugonem videret. Clerici vero cum vidissent eum, præter morem torvo oculo respicere, et stipare Hugonem undique, ne quis pateret accessus. Sedentibus ergo in campo et colloquentibus episcopis in medio clericorum, juxta Hugonem sedens, loqui ei non poterat propter adstantes: sed tamen flebat uberrime super collum ejus: et ecce inundaverunt aquæ et cælum dedit pluvias, ita ut dispersi cum festinatione ad proximum vicum currerent, sea beatus Hugonem manu tenens: Mecum, inquit, in pluvia stabis: statimque serenitate reddita, soli stabant in campo.

35. Et confessus est Hugo juramentum, quod fecerat, minime se [monachum] fore usque ad annum. Hoc autem fecerat; ut deciperet clericos; annuam quippe probationem non ignorans. Ibi confirmato ex integro sodalio spiritali, redierunt, manu sese tenentes alterutrum; et jam desperati omnes, nemo deinceps Hugonem detinere tentavit. Ex hac itaque nova Bernardi victoria, novus in laudes ejus excrevit triumphus, idemque plane singularis, ob virum tam magnum, quem monastico adjunxit instituto. Labet his atterere clausulam Manrici, quam conversioni Hugonis, ad annum Christi 1112, cap. 2, a num. 3, in hunc subnectit modum: « Quibus videas, vel in ipso suæ conversionis initio Bernardi potestatem pene immensam, cælum nimirum nubibus claudentis, et rursus aperientis portas ejus pro suo libito, obediens nimirum Domino, etiam ante prolatam vocem, menti hominis, ut Bernardi non solum lingua, sed cor etiam clavis cæli jam tunc comprobaretur. Videas præterea renovata primitivæ Ecclesiæ felicia tempora, et primas illas Christi vocaciones, non consanguineis parentes, non extraneis, renovata miracula et prodigia, queis homines trahebantur ad Evangelium. »

36. Quanam irteera temporis, antequam Cisterciense monasterium ingrederetur sacer ille grex, acta sint, legi possunt apud Guillelmum, e quo delibo ista num 17: « Crescente... numero eorum, qui in hanc conversionis unanimam consenserant, sicut de primitivis Ecclesiæ filiis legitur: *Multiitudinis eorum erat cor unum, et anima una in Domino*, et habitabant unanimiter simul, nec quisquam aliorum audebat se conjungere eis. Erat enim eis Castellioni domus una propria et communis omnium, ubi conveniebant, et cohabitabant, et colloquebantur; quam ingredi vix aliquis audebat, qui non esset de cœtu eorum... Ipsi vero quasi mensibus sex post primum propositum in sæculari habitu stabant, ut proinde plures congregarentur, dum quorundam negotia per id temporis expediebantur. » Atque hæc quidem initia fuere magnarum rerum, quas S. Bernardus postmodum per se aliosque pro gloria Dei, Ecclesiæ catholice bono, ac monastici instituti propagatione egregie ac feliciter gessit. Nos itaque nunc eum cum so-

dalio suo cœnobii Cisterciensis tecta subeuntem comitemur.

§ IV. Tirocinium; virtutes in eodem exercite; ordinis habitus; religiosa professio; animi et corporis exercitationes.

27. « Anno ab incarnatione Domini 1113, a constitutione domus Cisterciensis, 15, servus Dei Bernardus annos natus circiter 33 [al., 22]. Cistercium ingressus, cum sociis amplius quam triginta subabbate Stephano, suavi jugo Christi collum submisit. » Ita Guillelmus cap. 3 Vitæ. Manricus ad istum annum cap. 2, n. 4, nonnulla observat de numero sociorum: « Nec inquit, omnes admissi sine delectu: Robertus juvenis repulsus, quia nimium tener; si revertatur maturior, recipiendus. Nerim adnoto, hinc forte factum fuisse, ut quidam triginta tantum viros, alii Bernardum cum triginta venisse tradant, nempe Roberto inter eos annumerato, quem dilata probatio, non ablata, utrique parti reliquit velut in dubio. » Nec vero libellus, cui titulus, Exordium Cisterciensis cœnobii (quod opusculum ad distinctionem Exordii magni Cisterciensis, parvum vocamus), numerum sociorum auget ultra triginta, uti patet e verbis ejusdem Exordii parvi cap. 17 apud Bertrandum Tissier, pluribus postea memorandum, auctore sancto Stephano, que sic habent: « Ergo istis temporibus visitavit Dominus locum illum. Nam tot clericos litteratos, et nobiles laicos, et in sæculo potentes, et æque nobiles, uno tempore ad illam Dei gratia transmisit ecclesiam, ut triginta insimul in cella novitiorum alacriter intrarent, ac bene contra propria vitia, et incitamenta malignorum spirituum, fortiterque decertando cursum suum consummarent. »

38. Et mox, « Eadem, » inquit Manricus, num. 2, « sed paulo alius repetito principio, pangit carmen antiquum, quod hodie etiam Cistercii dicitur permanere, ipsius columnis ecclesiæ appensa tabula. » Carmen autem illud ibidem recitat in hæc verba:

Anno milleno nonageno simul uno

Fontanum castrum Bernardo contulit ortum.

Postea duntaxat septem labentibus annis,

Hoc in cœnobio capit Cistercius ordo:

Qui dum quindenos tandem crevisset in annos.

Intus suscepit vir sanctus religiosam

Sub Stephano vestem, socios triginta trahendo.

Quod ibi dicitur de religiosa veste, tanquam sponsa indigum paulo post corrigit laudatus Annalium Cisterciensium auctor, ut statim videbimus. Ibidem autem num. 3 et 4 ita pergit:

39. *Cæterum Stephanus divinitus præmonitus, oraculis superius jam relatis, et de exhibitione præsentium firmiorem spem concipiens futurorum, uno Roberto repulso quia parvulo, sed admittendo, si perseveraret, ut notabimus; cæteros omnes alacris admisit, non quidem statim religionis habitu donandos, quod ante annum probationis expletum tunc non in usu; sed probandos in veste seculari, anno tandem transacto deponenda. Utrumque colligo ex epistola Bernardi ad eundem Robertum, inter om-*

nes ejusdem sancti prima si non tempore, dignitate miraculi patrati, dum scriberetur, anno, quo contigit, a nobis referendo. Primum ex his verbis:

« Desæculo, te teste Roberto, venisti Cistercium. Quæsiisti, petiisti, pulsasti: sed tui adhuc teneritudinis, te licet invito, dilatus es per biennium. » Secundum vero ex subjunctis paulo inferius: « Post hæc per annum juxta regulam in omni patientia probatus, perseveranter et sine quærela conversatus, post annum sponte professus, tunc primum sæculari veste rejecta, religionis habitum suscepisti. »

40. Quanta vero donorum cœlestium affluentia, ac ordinis propagatione novorum istorum ascetarum ac Bernardi in primis adventum cumulaverit Dominus, habemus, e Guillelmo in principio capituli 3: « Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, et vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum suum, extendens palmites suos usque ad mare, et ultra mare propagines suas. » His adde quæ paulo ante premiserat sub finem capituli 2. Et vero S. Bernardi, aliorumque sociorum ejus exemplo plurimos jam tum adventasse Cistercium, humanas utique res pertæsos, Exordium parvum Cisterciense loco supra citato testatur his verbis: « Quorum exemplo senes et juvenes, diversæque ætatis homines, in diversis mundi partibus animati, videntes scilicet in istis possibile fore, quod antea impossibile in custodienda regula formidabant, illuc concurrere, superba colla jugo Christi suavi subdere, dura et aspera regulæ præcepta ardentè amare, ecclesiam illam mirabiliter lætificare, et corroborare coeperunt. »

41. Ferventem spiritum, quem secum Bernardus e sæculo in monasticum tirocinium invexerat, obnixe conatus est conservare, magisque ac magis novo cœlestium flammæ pabulo accendere, et solidarum virtutum ornamentis condecorare. Enimvero Guillelmus cap. 3 de ipsius tirocinio loquens, magnum aperit campum in modum ejus vivendi, ac laudes debitas excurrendi, sicut pluribus ibidem videri potest. Et tibi tamen, benigne lector, pauca e multis, quæ ibi dicuntur, extracta specimina: « Quomodo vitam angelicam gerens in terris vixit, neminem enarrare posse puto, qui non vivat de spiritu, de quo ille vixit. Et mox: « Ingressus... est domum illam... intentione ibi moriendi a cordibus et memoria hominum, et spe delitescendi et latendi tanquam vas perditum, Deo aliter disponente, et eam sibi in vase electionis præparante, non solum ad ordinem monasticum confortandum ac dilatandum, sed etiam ad nomen suum portandum coram regibus, et gentibus, et usque ad extremum terræ. » Sanctus autem tiro parvulus omnino erat in oculis suis, « nil tale de se æstimans aut cogitans, potius ad custodiam sui cordis, et propositi constantiam, hoc semper in corde, sæpe etiam in ore habebat: Bernarde, Bernarde, ad quid venisti? »

42. Denique et illa ibidem num. 23 sequuntur: Cum novitius esset, in nullo sibi parcens, instabat

omnimodis mortificare non solum concupiscentias carnis, quæ per sensus corporis fiunt, sed et sensus ipsos, per quos fiunt... Vix tantum eis permittebat, quantum sufficeret ad exterioris cum hominibus conversationis societatem. Quod cum continui usus instantia in consuetudinem mitteret, consuetudo ei ipsa quodammodo vertebatur in naturam: totusque absorptus in spiritum, spe tota in Deum directa intentione, seu meditatione spirituali tota occupata memoria, videns non videbat, audiens non audiebat; nihil sapiebat gustanti, vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Jam quippe annum integrum exegerat in cella novitiorum, cum exiens inde ignoraret adhuc, an haberet domus ipsa testudinem, quam solemus dicere cœlaturam. » Plura ibidem Guillelmus narrat cum insigni commendatione tirocinii a sancto nostro decursi, et præclarissimis virtutibus ab eodem exornati.

43. Vita quarta apud Mabilionium edita, et a Joanne Eremita conscripta, lib. II, a col. 1284, exemplum commemorat, e quo perspicuum redditur, quanta cum severitate sanctus tiro in culpas etiam levissimas animadverteret. « Igitur cum esset juvenis sanctissimus in cella novitiorum, quidam de parentibus suis venerunt, ut visitarent eum, et locuti sunt cum eo. Post signum vero horæ nonæ, reversi sunt unusquisque ad sua, et religiosissimus juvenis ad opus Dei in ecclesiam. Tunc secundum consuetudinem elevans oculos ad cælum, putans se invenire gratiam Dei, sicut et prius, non invenit. Excogitavit itaque in se ipso, hoc sibi pro quacunque delicto seu peccato contigisse, et non comperit nisi vanas fabulationes, quibus paulo ante per imprudentiam se exposuerat. Qua de causa cum se culpabilem intellexisset, prostravit totum corpus suum juxta altare, dicens cum Propheta: *Domine, ne in furore tuo arguas me*, etc. Et cum hoc fecisset per viginti et quinque dies, apparuit ei gloria Domini; et replevit eum, et dedit ei scientiam sanctorum, ut in bonum consummarentur opera ejus. »

44. « Sed et alii venerunt visitare eum, et acceperunt licentiam ab abbate Stephano, ut ad eum loquerentur. Et cum ad eos ducceretur, accepit stupas, et misit sub capucio in aures suas: ita ut hoc artificio ab inani confabulatione se conservare posset immunem: sicque venit ad hospites, et fuit cum eis per totam horam, et nihil audivit: non locutus est, nisi pauca verba de ædificatione. Tunc pulsata campana, gaudens, et relinquens eos, venit in ecclesiam, gratia sua sibi taliter a Deo conservata. O virum præcipuæ sanctitatis, et dignum memoria! qui sibi in hunc modum providendo, audientes adhuc ædificat, et ædificabit usque in finem, non sibi solummodo, sed infinitis proficiuus existens. » Quod dicit biographus ille in secundo exemplo de capucio, si velit hoc intelligi de sancto tunc adhuc novitio, atque adeo, secundum mox dicenda, monastica veste nondum tunc induto, non videtur satis conforme alteri narrationi, quam illico proferam,

Hinc interim colligere licet, quanto studio religiosissimus juvenis in solidam perfectionem incumberet, cum adeo accurate in se castigaret tenuissimos quoque naevos, qui vel tantillum eidem officere videbantur. De professione ipsius solemnem ac sociorum nonnulla observat Manricus ad annum Christi 1114, cap. 1, num. 1 et sequentibus, ita scribens.

45. « Sequens annus, videlicet Christi millesimus centesimus decimus quartus, Cistercii decimus septimus, Bernardi et sociorum ejus votis solemnibus... faustus fuit... Bernardum et socios post annum professos regulam, auctores magis supponunt, quam affirmant; quod non crediderim factum sine mysterio; quippe cum habitus non monachum faciat, sed professio; imo cum neque habitum novitii tunc gestarent, ut præcedenti anno jam ostendimus; satis profecto mirabile apparet, quorum ingressus ab omnibus describitur, professionem a nemine referri. Delatum forte constantiæ virorum Dei, quos semel ad aratrum admota manu haud dubium foret peracturos, quod inchoaverant. Professus nihilominus sunt regulam beati Patris Benedicti juxta rigorem conventus Cisterciensis, tuncque primum monachali habitu induti, tonsuratique, quod etiam ultimum placuit adnotare. Nam sicut sine habitu, ita et sine tonsura probationem exigere consuevit illis temporibus, testem habeo Cæsarium Heisterbacensem, post centum adhuc annos scribentem de novitio tunc sibi coætaneo, lib. IV Dialogorum, cap. 51 :

46. « Novitius quidam cum in Hemmenrode (abbatia ordinis Cisterciensis, diœcesis Trevirensis) satis tranquille annum probationis peregisset, et voluntate stabilitatis expressa in Capitulo, radendus esset in monachum, is, qui eum rasurus erat, ratorium (i. e. novaculam) ad corrigiam acuens, in eadem hora sic eum contristavit, etc. Quibus videas, ante voluntatem stabilitatis expressam neminem radi solutum. Quod magis mirum tempore Cæsarii, quo novitii jam cappam capitiumque, religionis insigne præferbant. Forte ne eo signo notandi retinerentur, si medio probationis anno egredi vellent. Primis ergo illis ordinis temporibus probandi in habitu et tonsura sæculari: post, tonsura dilata, concessus habitus, quantumvis monachali valde dissimilis: quod hodie etiam videmus permanere. Tandem decursu temporis effectum est, ut simul habitum tonsuramque suscipiant, quod forte a mendicantis inceptum recens exortis, paulatim etiam ad nostros extensum fuit. »

17. At, relicto brevi hoc diverticulo, revertamur cum Manrico ad solemnem professionem, num. 4 de ejusdem ordine ista notantem: « Bernardum primum emisisse vota, sunt qui affirmant; quod mihi, ait, dubium. Tenerior ætas, et profundior humilitas vetabant, quominus aliis præferretur magister omnium. Alias neque Hugo prior missus fuisset, Pontigniacum in Campania fundaturus, neque Bernardo in abbatem præfecto Claræ-Vallis, cæteros

A omnes occupasset admiratio, quam Guillelmus abbas descripsit in ejus Vita lib. 1, cap. 3: *Mirantibus sane illis, tanquam maturis tam in religione quam in sæculo viris, et timentibus ei tum pro tenerioris ætate juventutis, tum pro corporis infirmitate, et minori usu exterioris occupationis.* Crediderim ætatis suæ ordine, sive nihil sive parum immutatae, et ante annum admissos, et tunc professos; nisi quod forte conjugatos clerici, solutos conjugati antecesserunt. Atque hæc de professione ab antiquis omissa brevissime sufficiat prælibasse. »

48. Huc etiam pertinet continuatus sancti fervor, et ars metendi divinitus ei infusa. De his Manricus loco citato a num. 8 hæc memorat: « Interim Bernardus Pater, sociique, quo erant in novo statu ferventes spiritu, instare orationibus, vigiliis, jejuniisque corpus atterere, laudes divinas in choro devote canere, et nihilominus operari manibus, tenere silentium, insistere lectioni, ac reliquis observantiis religionis sine intermissione exerceri, sine querela, Stephano, ut olim docente, tunc mirante, ac vere jam experiente struenos duces, quos paulo antea tirones nominaverat. Et quidem de virtutibus Bernardi Guillelmus multa, et quotquot scripsere vitam beati viri, quæ nimis longum esset huc transcribere. Cæterum quod de peritia metendi tradunt, servo Deo per miraculum collata, quia peculiarem continet doctrinam forte minus probatam, saltem minus in usu nostris temporibus, non putamus, silentio prætereundum: » præsertim cum hinc pateat ad oculum modus mirabilis, quo divina providentia cum nostro sancto egit, quando virum tam magnum, et ad res quaslibet summas exsequendas natum, a vili ac tenui metendi labore ad altiora tot tantaque facta exordium sumere voluit, prout jam visuri sumus.

§ V. *Ars metendi divinitus sancto concessa; discessus in monasterium Claravallense e Cisterciensi; variæ de hoc notitiæ; illud quo anno fundatum.*

49. Redemerat vir sanctus metendi inscitiam, uti narrat Manricus num. 9, « anno proximo aliis operibus substitutis messiois loco: quorum etsi non minor labor, facilius usus, et quotidianis operibus promptiores artus, quam non nisi post annum repetendo. Sed a cæteris solus separari, et metentibus fratribus non metere angebat animum ardentem vitæ communis: et neque semper quid aliud faciendum suberat; neque, si subesset, ei permittebatur, debili quippe ac præ nimia abstinentia et vigiliis defecto viribus. Audiant, qui putant opera hæc externa minoris apud Deum esse valoris. Audiant, qui totum negotium menti deputant, corpore adeo a laboribus immuni, ut minus aptum contemplationi censeant, si fatigetur. Bernardus, egregius futurus Ecclesiæ doctor, imo oraculum, fidei columna; quo principe, quo duce, schismaticorum colla subigenda, hæreticorum calcanda parabantur; Bernardus catholicis omnibus firmandis, atque ipsius pontificis Romani stabiliendo solio concessus

orbi; Bernardus Pater, qui reges, regnaque, qui denique universum Christianum axem ad sui imperium erat commoturus; cujus verba concilia mutabantur, dum adhuc viveret, et cui, ut clavigero cælestium arcanorum, vel ipsa sacra Scriptura erat subdenda (hoc intelligendum accommode, ne nimium dicat Manricus); Bernardus, inquam, ad hæc omnia gradum faciens, a peritia metendi exorsus est, eamque a Deo per lacrymas obtentam, atque collatam non sine miraculo, lacrymæ simul et miraculam commendant utilem etiam acquirendo in Ecclesia doctoris apici. »

50. Factum narrat Guillelmus, cap. 3, num. 27: « Messis tempore fratribus ad secandum cum fervore et gaudio sancti Spiritus occupatis, cum ipse quasi impotens et nescius laboris ipsius, sedere sibi et requiescere juberetur, admodum constriatus ad orationem confugit, cum magnis lacrymis postulans a Deo donari sibi gratiam metendi. Nec fefellit simplicitas fidei desiderium religiosi. Continuo namque, quod petiit, impetravit. Et ex illo die in labore illo præ cæteris peritum se esse, cum quadam jucunditate gratulatur; tanto in hoc opere devotior, quanto se in hoc ipso facultatem ex solo Dei dono reminiscitur accepisse. » Ideo autem gratiam hæc Bernardo datam ad annum Christi 1114 censet pertinere Manricus; « quia, ait, vir Dei post emissam professionem, his tantum frugibus Cistercii adfuit colligendis: quippe mense Junio sequentis anni Claramvallem, ut dicemus, transferendus. » Nobis nunc despiciendum restat, quomodo illuc translatus, seu Cistercio cum aliis eo profectus, cœnobii Claravallensis, quod primus abbas rexit, præfecturam inchoavit. Annus, quo ad dignitatem abbatialem promotus est, confirmatur e versibus antiquis, quos multi codices, uti observat Manricus ad annum 1115, cap. 1, num. 6, subjungunt operibus ejus, quosque ibidem subdit:

*Annus millenus ter quintis commemoratur [leg. connumeratur].
Nec non centenus, vir sanctus quando creatur
Abbas, et Patrum sequitur decreta priorum,
Fit doctor fratrum, fidei lux, regula morum.*

51. Bernardi fratres ad fundandum Claravallense monasterium missi cum eo sunt, sicut testatur Guillelmus biographus lib. 1, cap. 3, num. 28: « Cum autem complacuit ei, qui eum segregavit a sæculo, et vocavit, ut ampliore gratia revelaret in eo gloriam suam...; misit in cor abbatibus Stephani ad ædificandum domum Claravallis mittere fratres ejus. Quibus abeuntibus ipsum etiam domnum Bernardum præfecit abbatem. » Manricus alios insuper ei adjunctos memorat num. 5; ac deinde num. 6: « Tantis, inquit, viris a Stephano Bernardum præfici, ætate juvenem, quippe vigesimum quartum annum vix dum egressum, infirmum corpore, verecundia implicatum, aut impeditum, atque omni experientia destitutum, mirabile in oculis omnium visum fuit, et ob hoc forsitan serins pronuntiatum. Certe Guillelmus innuere videtur, nequaquam nominatum ante discessum, » ex iis, quæ modo recitabam ex ipso,

A « Quibus abeuntibus, etiam ipsum domnum Bernardum præfecit abbatem, » et quæ statim ab eodem biographo subnectuntur: « Mirantibus sane illis, tanquam maturis et strenuis tam in religione quam in sæculo viris, et timentibus ei tum pro tenerioris ætate juventutis, tum pro corporis infirmitate, et minori usu exterioris occupationis. » Sed non est novum, divinam providentiam infirmis prout instrumentis ad maxima quæque perficienda, prout eventus tot ac tanti in Bernardo id comprobantur: de cujus e monasterio Cisterciensi egressu quædam hoc loco cum Manrico observare visum est.

52. « Porro, » ait ad annum proxime citatum, num. 7, « egressum novi conventus, prout in Ordine fieri solebat, a Cæsario Heisterbacensi descriptum, quia gravitatem devotioni mistam præfert, non pigebit ad litteram transcribere e dicti scriptoris homilia in Dominicam tertiam post Octavam Epiphaniæ, quam citat ad marginem, his verbis: Duodecim monachi, loco duodecim apostolorum, cum tertio decimo abbate, qui loco Christi eis præponitur, ad novam abbatiam fundandam emittuntur. Crux enim Dominicam habens imaginem, a Patre abbate datur ei in manus, quem de oratorio cum eadem cruce exeuntem, duodecim ad hoc ordinati sequuntur, quasi Christum Apostoli. » Ita ille ex Cæsario; ubi vides novæ hujus coloniæ numerum definiti. « Cruce itaque, » sicut addit idem Manricus, « Bernardo a Stephano Patre in manus data, ipse prior, quasi pater et dux omnium, mox fratres ejus et filii egressi sunt, locum sibi inter Lingonenses quaesituri. Videres, cum jam essent recessuri, in profundo silentio cadentes lacrymas, omnium monachorum et solas voces cantantium resonantes inter singultus: quippe modestia membris exterius imperans, vix in affectus internos prævalebat; nec discerneres remansuros a discedentibus, quoadusque ad portam domus illos stantes a progredientibus cunctatio ipsa divisit. Hæc, Bernardo atque sociis abeuntibus, devota quidem, sed tristis facies Cistercii fuit. »

53. Prius autem quam cum sancto nostro abbate a Cisterciensibus ad Claramvallem discedamus, quandoquidem vir sanctus prima apud illos perfectioris vitæ rudimenta posuit, ac per se aliosque, quos eisdem ascetis adjunxit; cœtum illum deinde magnifice illustravit ac propagavit; quia item de Cisterciensibus toties jam a nobis mentio facta est, ac porro fiet; videmur non abs re facturi, si de piissima juxta ac celeberrima hac vitæ asceticæ palæstra notitias quasdam hic subjiciamus, plures tamen designaturi apud auctores, qui de ea scripsere quam prolixè ac singillatim huc coacervaturi, ne nimium excurrat oratio. Fundator ejus fuit S. Robertus, primus abbas Molismensis, cujus acta apud nos jam pridem illustrata sunt tomo III Aprilis, die 29 ejusdem mensis, a pag. 662. Ibidem vero § 2 Commentarii prævii ad ipsius Vitam, pag. 664 et sequentibus, agitur de initiis cœnobii et ordinis Cisterciensis, et de S. Roberti ad eundem transitu, qui accidit anno